

art. v, dist. XLII, quæst. I, art. I, quod a pluribus Thomistis deseritur. Septimo: Non posse dari instrumentum creationis, affirmat ip. q. XLV, art. v et II, contra gentiles, cap. XXI, contra id quod dixerat in secundo dist. I, qu. I, art. III, ubi tamen non loquitur de instrumento expresse, nec ex propria sententia, sed Magistri. Hoc tamen a pluribus Thomistis non probatur, qui ponunt instrumentum iteratæ creationis in transubstantiatione. Octavo, negat sæpe: Materiam primam habere propriam existentiam, quod plerique Thomistæ non admittunt. Nono, cum ex speciebus sacramentalibus aliquid generatur, docet: Ibi manere quantitatem loco materiæ cum forma substantiali, et consequenter vermes sic generatos distingui specie ab aliis, qui veram materiam habent, III p. quæst. LXXVII, art. v et in quarto dist. XII, q. I, art. II et IV, contra gentiles, c. LXVI, a qua sententia discedunt illustres Thomistæ. Denique, insarcinantur aliæ opinioniones, ut quod individuatio sumatur a materia, quod essentia, et existentia realiter distinguantur; quod quatuor interni sensus realiter distinguantur, quod cessante motu cælorum omnia sublunaria cessabunt; quod habitus scientiæ sit simplex qualitas, et tamen extendatur. Quas tamen propositiones libenter fatemur.

Ex theologia plures alias subinfert quibus plures Thomistæ censent non esse standum. Primo, Angelum non esse, in loco, ut in loco, sed ut in operato. Secundo, non esse possibile produci duos Angelos ejusdem speciei. Non posse Angelum peccare in primo instanti, Angelos solum conjecturaliter cognoscere futura contingentia non libera. Quod semel Angelus apprehendit, non potest unquam omittere. Quod Deus

prædeterminat physice actus nostros liberos. Quod Deus futura libera solum conjecturaliter cognoscit. Quod Deus non cognoscat futura conditionata, nisi per conjecturam. Quod merita non reviviscunt. Quod ad meritum debet actus fieri ex motivo charitatis. Quod primum peccatum rationalis creaturæ necessario debet esse mortale. Quod perveniens ad usum rationis, tenetur sub mortali actum facere quo se convertat ad Deum. Quod habitus supernaturales non augentur, nisi per actus intensiores. Quod unus character extenditur in diversis ordinibus. Quod in Christo non fuerunt habitus per accidens infusi. Quod ultima dispositio in justificatione elicitur ab habitu charitatis. Quod non pertinet ad articulos fidei Deum esse. Quod virtutes morales solum sunt in appetitu sensitivo excepta justitia et prudentia. Quod Christus non existat nisi per existentiam increatam. Quod formale unionis hypostaticæ sit quædam fictio. Quod in consecratione calicis illa verba sint essentialia novî, et æterni Testamenti, etc. non minus quam prima: Hic est calix sanguinis mei.

De his propositionibus subdit auctor elucidarii, plures in iis contineri, aut extra, aut contra mentem doctoris Angelici: nullam esse propositionem sancti doctoris, quæ non optime explicari, ac defendi possit.

Aliæ opinioniones enumerantur in defensione Cantabrica a fol. 167, in quibus dissident Thomistæ, et quænam sit eligenda docet etiam si plures Thomistæ stent pro alia. De quibus in præsentem non est tractandum, sed suis locis in theologia de illis agemus, in præsentem enim solum vindicamus D. Thomam, non omnes Thomistas.

Plures ex præfatis opinionibus,

seu propositionibus translatae sunt ex his, quæ affert Dermicius Thadæus, in sua Nitela, pagina 46. Præter illas autem solum restant apud ipsum istæ paucae. Prima, quod existens in peccato mortali etiam occulto, peccat si ex officio fraternaliter corrigat. Secunda, quod in homine sit unica forma substantialis, inde enim sequitur corpus Christi vivum et mortuum non fuisse idem, nec reliquias sanctorum fuisse aliquid in ipsis cum vivebant. Tertia, quod in canonizatione sanctorum non errare Ecclesiam, solum pie creditur. Quarta, quod non possit commisceri aliquid calici consecrato, contra praxim Græcorum.

ARTICULUS II.

Quis sensus D. Thomæ circa ea quæ Ecclesia docet de immaculata Virginis conceptione?

Hæc est apud oppositos auctores fortior machina, quæ in solidissimum doctrinæ D. Thomæ murum arietat, et plures ad classicum excitavit, nec modicam utriusque partis bilem accendit in afferenda, vel profliganda alterutra sententia. Unde coacti sunt Romani Pontifices iteratis edictis publicas disputationes in hac re inhibere, et tandem indictum est silentium parti affirmativæ, et cautum ne qui piam opinionem sequuntur, aliam impugnent, aut de ea quomodolibet agant, aut tractent. Ita Paulus v et Gregorius xv, in suis constitutionibus pro immaculata conceptione. Excipit tamen ab hoc silentio ipse Gregorius xv, fratres ordinis Prædicatorum, ut licite possint inter se, et non cum aliis de ipsa tractare, ut constat ex bulla, quæ incipit: Eximii et singulares fructus, 28 Julii, anno 1622.

Quare nobis non licet quidquam tractare, vel agere de opinione affirmante contractionem peccati; licet tamen Ecclesiæ sensum, quem omnibus Apostolica Sedes proponit, hic etiam exhibere, et quid senserit D. Thomas explicare, et sicut ab aliis auctoribus in suum sensum adducitur, ita nobis licebit verum illius sensum indagare, nihil de ipsa opinione tangentes.

QUAM SOBRIE ECCLESIA IN HOC MYSTERIO LOQUATUR.

Arcanum hoc mysterium Ecclesia a Spiritu Sancto gubernata, et instructa, sic summa pietate veneratur ut tamen magna cum moderatione in re tanti momenti procedat, et loquatur, et a suis fidelibus sic sentiri velit.

Primo igitur docent, et testantur Pontifices articulum hunc nondum esse ab Apostolicas Sede definitum, seu declaratum. Ita Sixtus III, in extravaganti: Grave mentis, Pius v, in constitutione, quæ incipit: Super speculum, Gregorius xv, infra citandus. Unde quod aliqui afferunt ex decreto quodam Concilii Basiliensis, sessione xxxvi, in quo definitur probabilior esse sententiam piam de immaculato conceptu Virginis, constat omni auctoritate carere, tum quia Concilium illud jam in ea sessione erat acephalum, et a vero et legitimo Pontifice Eugenio iv, segregatum, tum quia Sixtus iv, qui fuit post illud Concilium, alique ejus successores expresse docent articulum hunc nondum esse a Sede Apostolica declaratum. Ergo quantum ad hoc nunquam illud decretum Basiliense admissum est neque confirmatum.

Secundo, quanta sollicitudine, attentione, et cautela in hac parte Apostolica Sedes processerit, et pro-

cedat, non aliunde, quam ex ipsis litteris Gregorii xv, constare poterit, in cujus pontificatus initio diligentissime procuratum est, ut res ista tandem ad optatam definitionem perduceretur. Is enim Pontifex in litteris ad catholicum regem Philippum iv, pro hac re sollicitè pro sua avita pietate urgentem, sic rescripsit: « Ne quid tamen novi in tanta re decernatur, monet tum negotii magnitudo, tum Romanorum Pontificum prædecessorum exemplum. Spiritus Sancti enim vocem auscultare, non humanarum rationum ponderibus rem examinare debemus, qui in divinæ sapientiæ cathedra christiano orbi a Deo præ-

fecti sumus. Quare cum nondum æterna sapientia Ecclesia suæ tanti mysterii penetralia patefecerit, in Deo Romanorum que Pontificum auctoritate debent fideles conquiescere. » Ita habetur ex libro legationis episcopi de Carthagena, et refert Gravina in apologetico pro sacro deposito, c. xii, in fine. Sed præstat integras litteras auscultari ejusdem Pontificis ad serenissimam infantem Margaritam de Cruce (rarum hujus sæculi, et superiorum exemplum) in regio discalceatarum cœnobio Matricensi olim sanctimoniali. Cui de hac materia sic Pontifex scripsit, brevi, sed pleno majestatis stylo rem tantam ponderans.

A T E R G O

DILECTÆ IN CHRISTO

filie nobili mulieri, sorori Margaritæ a Cruce sanctimoniali, regis catholici amitæ,

I N T U S V E R O

GREGORIUS PAPA XV.

Dilecta in Christo filia nobilis mulier, salutem et apostolicam benedictionem. Angelicis choris interesse, et beatorum gaudia antecapere videntur illæ animæ, quæ a mortalium rerum contagione secretæ, se ipsas Beatissimæ Virgini devoverunt: ejusmodi felicitatis compotem esse speramus Nobilitatem tuam, quæ in religiosis claustris delitescens, animo quotidie in cœlestem patriam demigrare studet. Cognovimus enim ex litteris tuis, et sermone dilecti filii nobilis viri comitis Monteregii, quanto studio Deiparæ laudibus inservias. Ita

enim scribis, ut tibi gloriæ principatum adipisci videreris, si dissentientes theologorum, populorumque disputationes, in unam aliquando purissimæ conceptionis sententiam convenirent. Verum cum ipsi Beatissimæ Mariæ obedientia gratior sit, quam sacrificium, ii tum demum eam pie, ac sapienter colunt, qui apostolicæ auctoritatis legibus se ipsos, suasque opinioniones subjiciunt. Spiritus Sanctus accuratissimis precibus exoratus, nondum tanti mysterii arcanum Ecclesiæ suæ patefecit. Nos autem non nisi eo præeunte, æternitatis volumen in chris-

tianæ sapientiæ cathedra legere debemus. Quare in tam gravi deliberatione a Pontificum maximorum qui nos antecesserunt sententia, recedendum non esse hoc tempore arbitramur. Obviam quidem eundem censem pervicaci cuidam ingeniorum licentiæ assiduisque theologorum altercationibus, ne discordiarum pater simulatione pietatis animas decipiens, in nimis istis disputationibus aliquando triumphet. Pontificio decreto ejusmodi periculum propellimus. Ex eo cognoscat Majestas tua, quam propensa tibi voluntate gratificemur. Te enim paterna charitate prosequimur, quæ e regnatrice domo in sacrum istud sodalium, christianorum virtutum exemplar transtulisti, ut religiosas istas virgines Nobilitatis tuæ imitatione ad currendas divinum mandatorum semitas acrius incitares. Iis omnibus, tibi que cœlestium consolationum ubertatem precamur, atque apostolicam benedictionem peramentemur. Datum Romæ apud S. Mariam majorem sub annulo piscatoris, die 4 Julii 1622, pontificatus nostri anno secundo.

JOANNES CIAMPOLUS.

His plane litteris edocemur quanta sobrietate, gravitate, et circumspectione in hac materia loqui nos decet, quantum a proprii judicii pervicacia, aut tenacitate, et ab opinionum propriarum adhæsione avelli, et sola mentis atque opinionum resignatione ipsi gloriosissimæ, ac purissimæ Virgini ad pedes Romani apostolatus deservire debeamus, hoc enim ipsi vere, et super omnia gratissimum fore Ecclesiæ ipsa nos docet. Satagamus ergo hoc diligenter exequi quicumque in vera humilitate tantæ reginæ pure fideliterque obsequi profitemur. Hanc modestiam plane secutus est Divus

Thomas, et hanc nos docuit, et ita in hac parte sensit, ut semper locum dederit illi sensui, qui modo ab Ecclesia admittitur, nec illi unquam contradixit. Quid Scotus ipse subtilissimus, ita et modestissimus doctor, adeo sobrie, et caute rem istam tractavit, ut mirandum posteritati de hac re exemplum reliquerit? Cum enim in tertio distinct. iii, quæst. i difficultatem hanc ventilasset, et quibus modis possibile Deo fuisset suæ purissimæ matri animam in primo instanti animationis gratam sanctamque efficere, descendens ad quæstionem de facto, et quid in illo occultissimo, atque cœlesti mysterio ineffabilis Dei misericordia executi sit, hæc verba subjicit: « Quod autem horum trium, quæ ostensa sunt esse probabilia, factum sit, Deus novit, si auctoritati Ecclesiæ, vel auctoritati Scripturæ non repugnet, videtur probabile, quod excellentius est attribuere Mariæ. » Nihil plus in hac quæstione de facto, Scotus determinavit, et multum in brevibus istis verbis nos docuit.

AD DIV. THOMÆ SENSUM DECLARANDUM QUÆDAM PRÆNOTANTUR.

Nihil mihi videtur ita commendare cœlestem D. Thomæ doctrinam quam si attente inspicimus, quanta vigilantia sancti doctoris calamum in hac re divina providentia temperavit, ne in particulari aliquid scriberet, quod præsentī Ecclesiæ statui, et sensui quem habet circa virginem conceptum contradicere posset.

Duo ergo oportet diligenter prænotare in D. Thomæ doctrina pro hujus determinationis luce. Primum, longe aliter locutum fuisse D. Thomam cum in generali, et in communi ageret de universalitate peccati originalis quantum est ex vi le-

gis, et omni in privilegio secluso, aliter cum in particulari de B. Virgine tractavit, ubi de ipsius præsertatione ex vi privilegii agebatur. Nam loquendo ex vi legis, ita universalitatem originalis peccati extendit, ut nulli exceptioni dederit locum et oppositum censura inusserit, ut statim ostendemus: ubi autem in singulari agit D. Thomas de ipsa B. V. an sit excepta a peccato originali, nusquam censuram aliquam apposuit. Secundum quod advertimus est, quod D. Thomas nunquam posuit quæstionem directe: An B. V. contraxerit peccatum originale, an vero fuerit præservata, sed utrum fuerit sanctificata ante animationem, quia cum in conceptione B. Virginis attendantur duo scilicet et persona concepta, ut terminus, et actio ipsa generandi seu concipiendi, et utrumque conceptionis nomine significari soleat, et possit, non fuit sollicitus D. Thomas, quærere de persona, an fuerit præsertatione privilegiata, sed de actione, et de principiis ex quibus generata est persona scilicet anima, vel carne ante animationem, an ex vi sua induxerint sanctitatem in persona, et curæ fuit ipsi excludere ab actione privilegium, et carentiam debiti contrahendi peccatum, hæc enim carentia ex ipsa actionis generativæ sanctitate, seu privilegio sequebatur. De persona vero concepta, an fuerit privilegiata non obstante actione ipsa, seu activa conceptione, quæ de se in peccatum ruebat, D. Thomas, non multum tractavit, etsi loquendo de opinionibus, quæ suo tempore jam currebant, de utraque locutus sit probabiliter, sicut in illo tempore debebat loqui propter Romanæ Ecclesiæ auctoritatem, nondum tunc positive faventis, sed solum permittentis opinionem piam, et ita ad Ecclesiæ auctoritatem se remittit, sicut et Scotus fecit, cum

judicium de hac re protulit quantum ad quæstionem de facto.

Igitur circa primum hoc punctum quod notamus, advertendum est quod fuit necessarium D. Thomam tractare illam quæstionem cum ageret de peccato originali, an universaliter in omnes homines pertransiret ex vi legis, et secluso privilegio, quia hæresis Pelagiana, licet a principio negaret peccatum originale in parvulis, sed peccatum Adæ sibi soli nocuisse affirmaret, tamen postea ita peccatum originale confessi sunt, quod tamen asserebant non in omnes homines pertransire nullo excepto (ex vi legis loquebantur non ratione privilegii.) Et cum dicit Rom. v: *In omnes homines mors pertransiit in quo omnes peccaverunt*, ly omnes dicebant idem esse quod multos, non autem omnes nullo excepto, quod in eodem capite dicebant Apostolum indicasse dum dicit: *Per unius inobedientiam peccatores constituti sunt multi*, et sic ly omnes, idem est quod multi. Et dicendo de Christo: *Per unius justitiam in omnes homines in justificationem*, ly omnes non intelligitur de omnibus nemine excepto, sed de multis qui justificantur.

Hoc ergo advertens Augustinus in Pelagio, et Juliano ejus discipulo, non solum contra fidem esse asseruit negare peccatum originale in parvulis, sicut primo negavit Pelagius, sed etiam affirmare quod non omnes tangit, nemine excepto ex vi legis ordinariæ, sicut secundo Pelagius dixit. Videndus est Augustinus, libro de natura et gratia, c. xli, ubi inquit: « Illud commemoravi, per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit in quo omnes peccaverunt, et antiquos, et recentiores, et nos, et posteriores nostros sententia ista complectitur. Ponit etiam Pelagius

testimonium unde probet, cum dicitur omnes, non semper omnes nullo prætermisso debere intelligi, sicut inquit per unius hominis delictum in omnes homines in condemnationem, sic per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ, cum per Christi inquit justitiam non omnes homines, sed eos tantum qui illi obedire voluerunt, sanctificatos esse non dubium sit. Non plane testimonio isto probat quod vult; nam sicut dictum est sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, ut nullus prætermittetur, sic in eo quod dictum est per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ nullus prætermisus est, non quia omnes in eum credunt, sed quia nemo justificatur nisi in eum credat. » Ad hæc in libro vi, contra Julianum, cap. xii, alias xxiv, postquam probavit Augustinus illud verbum omnes significare omnes nullo prætermisso, subdit: « Vos autem dum non omnes, sed multos per Adam condemnatos sive per Christum liberatos vultis intelligi, horrenda perversitate christianæ religioni resistitis. » Denique, in libro de perfectione justitiæ, cap. xxi, tomo vii, eisdem fere verbis, et sub eadem censura loquitur Augustinus ac D. Thomas in 1-2, q. lxxxii, jam citata, dicit enim Augustinus. « Quisquis esse, vel fuisse in hac vita aliquem hominem, vel aliquos homines putat uno excepto mediatore Dei, et hominum, quibus non fuerit necessaria remissio peccatorum contrarius est divinæ Scripturæ, ubi Apostolus ait: Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit in quo omnes peccaverunt. Et necesse est, ut impia contentione asserat, esse posse homines, qui sine mediatore Christo liberante, atque salvante sint

liberi salvique a peccato. » Hæc Augustinus. Illatio aperte sequitur in Pelagii sententia, si ex vi legis, et secluso privilegio non in omnes homines nullo prætermisso peccatum transiret, sed aliquis sine ullo generaretur, tunc enim ille non indigeret redemptione per Christum, quia ex ipsa lege ordinaria careret peccato.

Ex his ergo manifeste deducitur, quod cum D. Thomas tractavit de natura peccati originalis, ejusque universalitate, et amplitudine in totum genus humanum, oportuit determinare contra Pelagium, et secundum fidem catholicam non solum contrahi peccatum originale a parvulis, sed etiam in omnes nullo prætermisso, peccatum hoc transire, excepto Christo, ex vi legis loquendo, cum etiam hoc secundum fuerit a Pelagio assertum, et tamquam distinctus articulus in Concilio Palæstino fuerit ei propositus ad jurandum. Nam primo dictum est, ut abjuraret, quod peccatum Adam ipsum solum læserit, et non genus humanum. Secundo, quod per mortem, et prævaricationem Adam non omne genus humanum moriatur, et quod non per resurrectionem Christi omne genus humanum resurgeret. Igitur D. Thomas debuit explicare hoc specialiter quod secundum fidem catholicam contra Pelagium fatendum est, omnes homines nullo excepto, nisi uno, mediatore Christo, loquendo ex vi legis, et secluso privilegio (ut loquitur D. Thomas et Augustinus utpote contra Pelagium) contrahere peccatum originale, et sic posuit D. Thomas, 1-2, q. lxxxii, art. iii, et q. iv, de malo, art. vi, et in iv dist. xliii, qu. i, art. iv, ad iii, et sub censura id debuit affirmare, quia est dogma catholicum contra Pelagii hæresim, et sic eadem censura notatur ab Augustino locis citatis et ob eandem rationem qua uti-

tur D. Thomas scilicet quia alias non indigeret aliquis redemptione per Christum, de quo etiam videndus est Augustinus vi contra Julianum, c. iii, et v contra Julianum, c. ii, et xx, de civit. cap. vi, et libro de fide ad Petrum, c. xxvi.

Neque verba Divi Thomæ, et Augustini ita universalialia, et sub censura posita in aliquo lædunt, aut tangunt singulare Beatissimæ Virginis privilegium, quia quando lex aliqua fertur universaliter pro omnibus, in toto rigore veritatis dicitur quod lex illa omnia nullo prætermisso comprehendit, etiam si aliquis per privilegium excipiatur, non enim hæc duo inter se pugnant, quod ex vi legis omnes sint comprehensi, et ex vi privilegii aliquis sit exemptus, imo potius natura privilegii supponit, ex vi legis oppositum deberi, alioquin privilegium non esset si ab universalitate legis non exciperet, hoc enim sensu dixit optime Augustinus, epist. l. « Quod dispensatio est vulnus contra integritatem severitatis. » Non ergo privilegium tollit universalitatem ex vi legis, sed supponit, excipit autem ex vi privilegii. Unde Hester xv dixit Assuerus rex: *Non pro te, sed pro omnibus hæc lex lata est.* Ubi convenientius videbatur dicendum, non pro te, sed pro reliquis, non autem dixit sic, sed pro omnibus, ut daretur intelligi optime stare, quod lex sit pro omnibus universaliter, licet non sit pro aliquo; ex vi legis ordinariæ omnes incurrunt peccatum solo Christo excepto, et tamen in nullo læditur singulare privilegium Virginis.

Scio Cajetanum et Medinam super illum locum ex prima secundæ, propositionem Divi Thomæ, in hoc sensu accipere, quod solum sit de fide omnes homines contrahere peccatum originale quoad debitum, non de facto; sicut est de fide omnes ho-

mines habere debitum moriendi, non tamen est de fide, sed in opinione, an aliqui de facto non sint morituri, illi videlicet qui in ultimo fine mundi invenientur. Cæterum communior Divi Thomæ interpretatio est quod loquitur Divi Thomæ in illa universali propositione ex vi legis ordinariæ, relinquendo semper locum privilegio. Ita censent Ferrariensis, iv contra gentiles, capitul. l; Zumel, prima secundæ, quæstione lxxxii, artic. iii, quæstione unica; Lorca et Alvarez, ibidem; pater Azor, tomo i, instit. lib. iv, capite xxxiv; Salas, tomo ii, in 1-2, tractat. xiii, disputat. xi, sect. v, quæstion. xi; Valentia, 1-2, disputat. vi, quæstion. xi, puncto ii; Montesinos, 1-2, quæstion. lxxxii, artic. iii, disputat. xi, quæstion. viii, numer. clxxxiv; Cornelius a Lapide, super epist. ad Roman. capitul. v. Eodem modo explicant propositiones universales sanctorum, quod loquantur ex vi legis, non ex vi privilegii, Paramo, lib. iii de edicto fidei, quæstion. v; Bellarminus, lib. iv de amissione gratiæ, cap. xvi; Ægidius a Præsentatione, de immaculata conceptione, lib. iii, quæst. iv, præsertim artic. ii, et quæst. v, seq. Suarez, ii tomo, iii part. disput. iii, sect. v; Vazquez, ii tomo ad iii part. disputat. cxvii, capit. x, et sequentibus. Quare ex illa universali propositione D. Thomas et ejus censura, quæ solum respicit id quod ex vi legis ordinariæ comprehenditur, nullum præjudicium, nec censura resultat in eam opinionem, quæ ex privilegio concedit B. Virgini præservacionem a peccato, non ex vi legis: prohibitio autem Sedis Apostolicæ in censurando, solum est circa opinionem piam, quæ ex privilegio dicit B. Virginem esse præservatam, non ex vi legis ordinariæ, quæ est pro omnibus, unde quando D. Thomas agit de B. Virgine in particulari non censurat, licet utatur ea-

dem ratione, quia alias non egeret redemptione Christi, ut patet iii p. qu. xxvii, art. ii, et in iii dist. iii, quæst. i, art. i, et aliis locis infra adducendis.

Circa secundum, quod in D. Thomas notandum diximus, illud est præ oculis habendum ipsum bene advertisse omnes modos, quibus poterat contingere ista sanctificatio Virginis non solummodo ordinato sicut fit in aliis hominibus ex peccato, sed etiam præservacione ne in illud incideret, aut etiam per gratiam aliquam ante animationem, vel collatam animæ vel purificantem materiam seminalem, aut embryonem. Quod bene advertit Seraphinus a Porrecta super iii par. qu. xxvii, art. ii. Fuit autem sollicitus D. Thomas excludere non tam ipsam præservacionem personæ Virginis in instanti reali suæ productionis, quam præservacionem carnis vel animæ, ita quod ex vi conceptionis activæ, seu generationis redderetur sancta illa persona, in se autem in quantum persona singularis, et producta non egisset gratia liberationis, nec debitum haberet incurrendi, sed tota grata fieret, vel parentibus, vel actioni, seu principiis ipsis, unde persona illa resultare debebat, id est, carni, vel animæ ante animationem. Hoc fuit intentum D. Thomæ et ideo semper inquisivit, an fuerit ante animationem sanctificata. Quod vero ipsa persona jam producta, quæ ex vi et modo suæ conceptionis habebat debitum incurrendi, de facto non incurreret peccatum, D. Thomas non fuit multum sollicitus, sed utrique sententiæ dedit locum Ecclesiæ, ad quem solum pertinet judicare hanc quæstionem de facto.

Hoc autem evidens fiet ex ipsis locis D. Thomæ ubi ex professo hanc quæstionem tractat, in quibus videmus eum agnovisse etiam præser-

vativam redemptionem, et præciue intendisse negare, quod gratia ista non fieret parentibus vel naturæ, sed si fieret, deberet fieri personæ ipsi Virginis in singulari; an ipsa vero persona producta requirit solum, vel debitum, vel peccatum, ut dicatur redimi et liberari non vero solum peccatum. Et in primis occurrit ad hoc insignis locus D. Thomæ in quarto dist. sent. xlii, q. i, art. iv, ad iii, et habetur in additionibus ad iii part. q. lxxxviii, artic. i, ad iii. Proposuerat D. Thomas argumentum, quod aliquando Deus hoc Ecclesiæ præstabit ut nascantur homines absque peccato originali, eo quod Ecclesia petit sibi debita relaxari, et sic ut plenarie assequatur hanc petitionem, oportet quod plenarie aliquando assequatur relaxationem debitorum, quod non erit nisi aliquis homo sine peccato originali concipiatur. Respondetur D. Thomas: « Quod hoc est erroneum dicere; quod aliquis sine originali peccato concipiatur (præter Christum) quia sic non indigeret redemptione per Christum. » Et subdit: « Nec potest dici quod non hac redemptione indiguerunt, quia præstitum fuit eis, ut sine peccato conciperentur (ecce gratia, seu redemptio præservativa) quia illa gratia facta est parentibus, ut in eis vitium naturæ sanaretur, quo manente sine originali peccato generare non possent, vel ipsi naturæ quæ sanata est. Oportet autem ponere quod quilibet personaliter redemptione Christi indigeat, non solum ratione naturæ: liberari autem a malo, vel a debito absolvi non potest, nisi qui debitum incurrit, vel in malum dejectus est (ecce distinguit contrahere malum, vel debitum tantum) et ita non possent omnes fructum Dominicæ redemptionis in se ipsis percipere, nisi omnes debitores nascerentur et malo subjecti, unde dimissio debitorum,